





Pri. 17. num. 17. Rain 24.  
22 Q. D. B. V. 1707.29 a 25.

# EMTOR INVITUS,

## Käuffer wieder seinen Willen/

QUEM

DIVINA ANNUNTE GRATIA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVLIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE, IVLIÆ, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGARIAE ET VVESTPHALIAE, &c. &c.

IN ALMA SALANA

S U B P R A E S I D I O

VIRI ILLVSTRIS atque EXCELLENTISSIMI  
DOMINI

# CHRISTIANI WILDVOGELII,

Jcti, Consiliarii Saxo-Isenacensis Intimi, Curia Provinc.

& Scabinat. nec non Facult. Jurid. Assessoris Gravissimi Jur. Publ.

& Feud. Itemque Cod. & Novellar. Antecessor.

Ordinarii Celebrissimi,

DOMINI PATRONI AC PRAECEPTORIS

SUI AETATEM DEVENERANDI,

D. 3. Dec. A. MDCCVII.

In Auditorio Jureconsultorum, publicæ Eruditorum

Disquisitioni sistit A. & R.

# CHRISTIANUS LUDOVICUS VVERNERUS,

Schvartzburgicus.

---

IENAE,  
CHALYBE MULLERIANO.



*Celsissimo Comiti ac Domino,*  
**DOMINO**  
**LUDOVICO**  
**FRIDERICO,**

E S. R. Imperii quatuor Comitibus,  
Comiti Schwartzburgi & Hohnsteini, Dynastæ  
Arnsteti, Sondershusæ, Leutenbergæ, &  
Clettenbergæ,

*Hoc, quidquid est, dicat, dedicat.*  
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

**EIUS CELSITUDINIS**

*subjectissimus atque observantisimus  
Servus,*

**CHRISTIANVS LUDOVICVS VVERNERVS,**  
**Autor.**



WERNERO  
SUO ERUDITISSIMO  
*S. P. D.*  
PRÆSES.

**D**Octrinarum in Aca-  
demiis quendam velut  
mercatum haberi, ab  
eo inde tempore dici cœpit,  
quo in athenæo Parisiensi,  
quod

¶ o ¶

quod primum academiæ nomine celebratum est, monachi duo, Joh. Maibrosius, atque Claudius Clemens, una cum mercatoribus ad venerunt, & ad fundandam hanc præclararum artium sedem faustum illico signum sustulerunt. Ex quo igitur TV, WERNERE doctissime, in foro isthoc Jenensi versatus es, nullam emendi occasionem prætermittendam duxisti, atque eas TIBI parasti divitias, quæ quem-

boup

quemadmodum Aristippus  
ajebat, si forte naufragium fa-  
ciendum sit, una cum domino  
enatare possunt. Cujus rei  
sicut in meis hucusque scholis  
luculentissima signa dedisti:  
ita opere isthoc, sedulitate  
propria concinnato, & præ-  
clare defenso, quod de *Em-*  
*tore invito* inscribitur, Tvos  
in præsenti commilitones ad  
idem emendi studium, me ap.  
plaudente, inflamas. Qui  
conatus ut feliciter TIBI ver-  
tat,

as o so

tat, magnumque nomini Tvo  
Familiaeque decus afferat, eo-  
que TE loco constituat, ut  
vendere rursus, quæ apud nos  
coëmisti, communique egre-  
gio impendere queas, omni-  
bus modis exopto. Vale!





## I. N. I.

Th. I.

**S**icut in omnibus contractibus tristissima est Juris Regula; quod nemo invitus ad contrahendum cogatur, *sicut. s. C. de Oblig.* & *Aet.* ita hæc præcipue in contractu emtionis & venditionis obtinet, ubi ab utraque contrahentium parte libera omnino voluntas requiritur. Loquitur hanc in rem expressum Diocletiani & Maximiniani Imperatorum Rescriptum in *l. II. C. de Contrahent.* Emitt. ibi: *In vitum comparare vel distrahere postulantis desiderium justam causam non continet.* Ejusque rationem reddit Paulus in *l. 9. ff. de Aet.* *Rer. Amot.* ibi: *Non enim æquum est, invitum suo pretio res suas vendere.* Et rapina putat simile esse

A 2

esse

esse Pomponius, rem ab invito domino licet justo  
 pretio comparare in l. 70. ff. de R. V. Add. l. 8. ff.  
 d. in lit. Jur. Atque in specie de Emtore extat Ar-  
 cadii & Honorii rescriptum in l. 16. C. de Jure  
 Deliber. ibi: Nec emere, nec donatum adsequi,  
 nec damnosam quisquam hereditatem adire com-  
 pellitur. Idque adeo verum est, ut neque in arbi-  
 trium unius ex contrahentibus, consensu, tan-  
 quam substantiale contractus, conferri possit, uti  
 textus est expressus in l. 13. C. de Contrah. Emt.  
 ibi: In vendentis vel ementis voluntatem collata  
 conditione comparandi, quia non adstringit neces-  
 sitate contrahentes, obligatio nulla est: idcirco  
 dominus invititus ex hismodi conventione rem  
 propriam vel quilibet alius distrahere non com-  
 pellitur. Conf. Pinell. in l. 2. C. de Resc. Vend. P. 2.  
 cap. 1. n. 5. & seqq. Neque id sine ratione statu-  
 tum est; Ipsa enim naturalis ratio, qua com-  
 munis commerciorum fundatur libertas, l. 6. ff.  
 de I. & I. tale liberum inter ementes & ven-  
 dentes arbitrium exposcit. Conf. Harprecht. in  
 pr. Inst. de Emt. Vend. n. 109. & seqq. Carpzov.  
 P. 2. C. 33. Def. 16. Et hinc est, quod pro conser-  
 vanda commerciorum libertate mandata poe-  
 nalia in Camera decerni possint. Petr. Surd.  
 Cons. 65.

§§ (5) §§

*Conf. 65. n. 9. Klock. de Contribut. cap. 1. n. 349.*  
 Et quod olim metu concussionis venditiones  
 Præsidibus Provinciarum factæ haberentur irri-  
 tæ, juxta l. non licet. 46. ff. d. Contrah. Emt. l. 46.  
 §. 2. d. *Jure Fisci.* Eleganter hanc in rem Cicero  
*Orat. 9. in Verrem Tom. II. p. 222. Edit. Gotho-*  
*fred. Lugdun. 1588.* Quæ fuit causa, inquit, cur  
 maiores nostri eos, qui cum potestate aut lega-  
 tione in provinciâ sunt, tam diligenter ab emitioni-  
 bus removerent. Hæc, Judices, quòd putabant,  
 erceptionem esse, non emtionem, cum venditori suò  
 arbitratu vendere non liceret: in provinciis in-  
 telligebant, si is, qui esset cum imperio ac potesta-  
 te, quod apud quemque esset, emere vellet, id ei  
 liceret, fore, ut quod quisque vellet, sive esset ve-  
 niale, sive non esset, quanti vellet, auferret. *Conf.*  
*Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 23. th. 3.*

Th. II.

Quanquam autem allegata Juris Regula  
 sufficienter in jure sit fundata, omni tamen exce-  
 ptione major non est, sed suas quoque patitur  
 limitationes, ita, ut etiam quandoque aliquis in vitus  
 ad emendum vel vendendum cogi queat. Et quidem  
 illi casus, quibus quis invititus rem suam vendere  
 cogitur, satis superque per Interpretetes sunt anno-

A 3

tati

tati atque discussi, uti constat ex Mantic. de Tac.  
*& Ambig. Convent.* L. III. t. 4. n. 10. & seqq. Co-  
varuv. Var. Resol. L. 3. Tom. 2. cap. 14. Bartho-  
lom. Socin. de reg. Jur. Reg. 435. Mynsing. Cent.  
V. obs. 27. Gometz. var. resol. L 2. cap. 2. n. 5. &  
seqq. Struv. Syntagm. Civ. Exerc. XXIII. tb. 6.  
Christoph. Besold. Delibat. Jur. L. 18. Pandect.  
qu. i. Thom. Maul. de Contractu & omni Jure Emt.  
Vendit. tit. V. §. 5. p. 178. seqq. Et vulgo Com-  
mentatores ad §. 2. Inst. de his qui sui vel al. Jur.  
hanc materiam ulterius pertractarunt. Istos ve-  
ro casus, quibus ad emendum invititus quis com-  
pellitur, suspensis ferè digitis & parce tactos re-  
peries. Mihi tamen, licet gracilis hæc videatur  
atque exigua vindemia, non tamen racematio  
invidebitur, plerisque argumentis jam ab aliis  
occupatis. Præsentem ergo Dissertationem Deo  
proprio collegi sub Rubrica de

### EMTORE INVITO.

Ubi tamen mihi veniam præfandam duxi, quod  
cum passim monopoliorum mentio injiciatur,  
equidem non adeo recesserim à meo Themate;  
ubi enim monopolium est, licet juribus proba-  
tum, sive id singulis, sive corporibus seu Colle-  
giis concessum, non deest emtor invititus: vix  
enim

§§ (7) §

enim reperies, qui nullam conquerendi de rerum pretio vel habeant, vel sibi fingant caussam, vel ex unico illo Poëtæ principio, ingenii humani ad diffidentiam pariter & refragandi studium proni nota:

*Nitimus in vetitum semper, cupimusque negata.*

ut jam taceam quod semper aliquid plenariæ libertati contrahentium & minoris emendi desiderio per monopolia detrahatur. Ne tamen plane ~~ā~~<sup>ā</sup> methodas progreedi videar, anteriori Dissertationis meæ parte casus proponam, magis publicas caussas spectantes, posteriori vero, qui privatas potissimum concernunt.

### Th. III.

Dicimus autem *Emtorem Invitum*, eum, qui, sine expressa sua ac specifica voluntate certis casibus, ad emendum, publica Principis vel legum autoritate, compelli potest. Schilter. *Exerc. ad Pand. XVII. th. 34.* Neque hæc significatio in jure est infrequens. Ita minoribus, licet expressè non consentientibus, si velint in judicio comparere, etiam *invitis* curator adjungitur §. 2. *Inst. de Curat.* vid. Sylvest. Aldobrandin. *ad hunc*

§. I. 2.

§. l. i. C. Qu. hab. person. stand. in jud. legit. Striv.  
*Synt. Civ. Exerc. XXXI. th. 7.* Similiter portio  
 deficiens hereditatis, cohéredi, qui vult heredi-  
 tam adire, ex quadam Juris nécessitate etiam  
*invito* accrescit l. un. §. 10. C. d. *Caduc. tollend.*  
 Ita porro solutione facta, etiam *invitus* libera-  
 tur l. 23. ff. d. *Solut.*

## Th. IV.

Differtigitur Emtor Invitus à *Coacto*, quod  
 hic vi quâdam externâ, eâque injustâ, ad facien-  
 dam emtionem compellitur, & hinc talis con-  
 tractus actione vel exceptione metus rescindi-  
 tur l. i. C. d. *Rescind. Vend.* Iste vero ex justa  
 causa per internum aliquod obligationis princi-  
 pium & jussum Superioris, necessitate quadam  
 morali adstringitur. Grot. d. J. B. & P. L. II. cap.  
 12. §. 10. Pufend. d. J. Nat. & Gent. L. I. cap. 4.  
 §. 10.

## Th. V.

Fundamentum hujus potestatis compel-  
 lendi subditos etiam contra naturalem commer-  
 ciorum libertatem, est *primo* Dominium Prin-  
 cipis supereminens, quod is in casu necessities  
 atque utilitatis, tum privatæ singulorum, tum pu-  
 blicæ

§§ (9) §§

blicæ in personas ac bona subditorum exercet.  
Pufend. de J. Nat. & Gent. L. VIII. cap. 5. §. 7.

## Th. VI.

Capimus autem hic Dominum Eminens in sensu latiori, non solum quatenus pars est Juris Majestatici, sed etiam pro omni potestate extraordinaria, quæ in casu necessitatis etiam à magistratibus minoribus majestatem non habentibus in res ac bona suorum civium pro salute communi civitatis competit. Unde & hæc de pretiis rerum publice statuendi potestas, & cogendi cives ad emendum, judici quoque inferiori & magistratui oppidano recte conceditur. arg. l. i. §. cura carnis. 12. ff. d. Offic. Pref. Urb. Gometz. Var. Resol. Tom. II. cap. 2. n. 51. Molia. d. J. & J. Tom. II. Tr. 2. disp. 341. n. 2. Nec obstat l. 3. §. 1. ff. ad Leg. Jul. d. Annon. ibi: item scripsérunt: *Jus non esse Ordini cuiusque civitatis, pretium grani, quod invehitur, statuere;* agit enim textus de potestate magistratus municipalis ordinaria, quippe quæ penes Principem tantum resedit. Stephan. Fagundetz. de Jusitia L. 5. cap. 37. n. 1.

## Th. VII.

Alterum hujus potestatis fundamentum in

B

æqui-

æquitatis ratione consistit. Quia sc. æquum est, ut jus privatorum cedat totius populi commodo, per l. un. §. pen. C. de Caduc. tollend. Hopp. ad Inst. de His qu. sui vel al. Jur. §. 2. Molin. d. J. & J. Tom. II. Tr. 2. disp. 341. n. 1.

Th. VIII.

Tertium deducimus ex nexu & officiis societatis, quo quisque civitum ad usus publicos obligatur. Grot. d. J. B. & P. L. I. cap. 1. §. 6. atque inde communibus consiliis, operis ac facultatibus, publicæ necessitati pro se quisque ci- vium subvenire debet. Struv. *Dissert. de Anno- nia th. 23.*

Th. IX.

Hisce ergo præsuppositis, Regula superioris allegata fallit primo: *se publice interfit aliquem emere*, qui calus tempore imminentis famis, atque ingruente annonæ caritate existere potest, ubi magistratus subditos cogere potest, ut pro evitanda caristia sibi de necessario victu, aliisque vitæ subsidiis provideant. Struv. *Synt. Civ. Ex- erc. XXIII. th. 6.* Sichard. ad l. 16. C. d. Jur. deli- ber. n. 2. adeo ut etiam ad illas species in locis re- motis emendas, compelli possint. Ang. & Joan. de Platea §. fin. Inst. de Donat. Koeppen. Part. I.

iuxta

¶

Dec.

## §§ (ii) §§

*Dec. 59. n. 18.* Klock. *d. Aerario L. II. cap. 24. n.*  
*4.* Velasco *d. Privil. Paupert. I. qu. 24. n. 6.* Menoch. *L. II. Conf. 137. n. 12.* Knipschild. *L. V. cap. 21. n. 26. seqq.* Neque excusantur ulli privilegiati, etiam si in domibus Principis vel alia ratione privilegiatis habitent. *arg. l. i. C. Ult. nem. lic. se excus.* add. Peretz. *ibid. n. 4.* Hahn. *ad h. t. n. 5.* Joann. de Platea *ad h. l. n. 1.* Rol. ad Valle *Vol. III. Conf. 80. n. 23. & seqq.*

## Th. X.

In signe hujus rei exemplum deprehendimus Argentorati, ubi certo anni tempore publice indicitur omnibus, qui civitatem inhabitant, ut certum modiorum frumenti numerum emant, ad evitandam caristiam, teste Sichardo *ad l. 5. C. d. O. & A. n. i.*

## Th. XI.

Sicut è contrario magistratus prohibere potest, ne quis plus emat, quam sibi & suis sit necessarium, ut annona aliis sufficiat, neve res aliis reddantur cariores. Angel. in §. fin. *Inst. de Donat.* Salic. in *l. 1. C. d. Episc. Aud.* Molina de *I. & I. Tom. II. Tr. 2. disp. 341. n. 4.*

## Th. XII.

Similiter propter imminentis belli aut ob-

B 2 sidio-

fidionis metum, possunt incolæ inviti compelli ut sibi de necessario victu prospiciant, ne fame magis, quam hoste prematur civitas. Peretz. in tit. C. Ut nem. lic. in coemt. spec. se excus. n. 34. Nec quisquam rerum gnarus dubitabit, subditis imponi posse, ut arma & alia ad se defendendum propellendumque hostem necessaria emant.

## Th. XIII.

Pari modo ad commeatum militarem instruendum, possunt comparationes frumenti, aliarumque specierum necessariarum, publicè injungi, ut exercitui copia suppetat. Atque hunc in sensum potissimum interpretanda Anastasii Imperatoris sanctio de inductione Provincialibus facta in l. 1. C. Ut nem. lic. in emt. spec. se excus. & de munere fitocomie. Conf. Tuldien. in d. t. C. Eratque illud officium providendi de annonâ militari olim apud Romanos penes varios magistratus, prout Status aut ratio reipublicæ exigere videbatur. Vid. l. 2. §. 32. d. O. I. Panciroll. Not. Imperat. Occident. cap. 5. Struv. Differt. de Annona tb. 8. & seqq. Sub Theodosio vero Imperatore & reliquis, cura hæc atque administratio ad Primipilum pertinebat. l. 6. C. Theod. de Cobortal. ibi: Primipilaribus, qui ad pascendos milites,

¶ (13) ¶

milites, solenniter ad limites destinantur. Conf.  
Lips. de Milit. Rom. L. 11. Dial. 8. Veget. de Re  
milit. L. 11. c. 9. Eandem quoque annonæ mili-  
taris provisionem apud Francos usitatam fuisse,  
docet Capitularium Regum Francorum L. 111.  
cap. 14. ibi: *Ut secundum antiquam consuetudi-  
nem preparatio ad hostem indicetur & observe-  
tur, id est, victualia de marcha ad tres menses, &  
arma & vestimenta ad dimidium annum, quod  
tamen ita observari placuit, ut illis, qui de Rheno  
ad Ligurim pergunt, de Liguri antea ad tres men-  
ses computentur, & qui de Liguri ad Rhenum per-  
gunt, de Rheno in antea ad tres menses victualia  
babere debeant.* vid. Stryck. *Dissert. de Milit. Imp.*  
cap. 1. th. 7. Sic ex Legibus quoque VVifigitho-  
rum L. 9. t. 2. §. 6. 7. constat, ad comites civitatum  
annonariæ rei curam interdum pertinuisse, & apud  
illas gentes per singulas civitates annonarios ma-  
gistratus constitutos fuisse, qui militibus sine  
fraude annonam exhiberent. Conf. du Fresne in  
*Gloss. voc. annona.* Add. Ripa de Peste cap. 5.

Th. XIV.

Singularis quoque in Constitutionibus  
nostrī Imperiī annonæ militaris habetur ratio,  
quæ cura per constitutum annonæ Commissa-

§ (14) §

rium seu Profiant - Meister exercetur. Conf.  
Reichs-Abschied zu Regensburg / de Ann. 1566.  
§. Als auch die Thur - Fürsten n. 59. & seqq.  
It. de Ann. 1530. §. Ferner ist für gut angesehen  
128. & aliis plerisque locis. Conf. Carol. a Mans-  
feld. *Magister milit. Tr. II. P. 1. cap. un.* §. ult.  
Frommanni *Dissert. de Commissar. milit. cap. 3.*  
*n. 2.* Idem, quod haec tenus ratione belli metus  
dictum, obtinet etiam tempore imminentis  
pestis, quo civibus suis imperare Magistratus  
potest, ut in tempore sibi de ligno, frumento,  
fale, farinâ, aliisque esculentis ad certum tempus  
prospiciant, ne his postea deficientibus, civitas  
vel tota vel pars ejus fame aliisque incommodis  
prematur. vid. *Leipziger Pest-Ordnung p. 67.*  
*Edit. Lüneb. Engelbrecht. Dissert. de Peste & jur.*  
*circa temp. pest. tb. 12.*

Th. XV.

Secundo limitatur superior regula jure & favore  
Fisci, seu Aerarii publici, cuius quis intuitu quandoque  
potest ad emendum compelli. Mynsing.  
*VII. Resp. 74. n. 45.* Licet enim regulariter nemo  
bona publica cogatur emere, ut fisco gratificetur.  
Natta *Conf. 500.* Tepat. *Decis. lib. IV. decis. 393.*  
*cap. 1.* Attamen hoc fallit, si favor fisci singularis  
concur.

35 (15) 58

concurrat. Socin. Jun. *Volum. III. Conf. 76. n. 17.*  
 Ita quis a fisco emere cogitur habente multum  
 frumenti, quod non potest conservare. Ruland.  
*de Commissar. Part. IV. Lib. IV. cap. 7. n. 45.* ne  
 alias Magistratus in casu, quo fruges vilescent, à  
 Reip. cura deterreatur, nec ejus labor ipsi sit dis-  
 pendio, arg. I. i. C. d. cond. in publ. horr. Gloss. in  
*L. un. C. ut nem. lic. in emt. spec. se excus.* Ubi etiam  
 Johann. de Platea referit, Battolum sic consuluisse  
 & practicasse. Prückn. d. necess. vendit. th. 54.

Th. XVI.

Ex eadem ratione notat Anton. Corset. in  
*suis Singular. lit. F.* Fiscum posse imponere ne-  
 cessitatem subditis emendi frumentum corrup-  
 tum. *Conf. Tepat. lib. IV. dec. 393. cap. 1.*

Th. XVII.

Ad redditus porro fiscales, vel per modum  
 locationis conductionis, vel publicæ subasta-  
 tionis atque emtionis, prout regionis mos fert,  
 redimendos, adigi vetus possessor potest, qui istos  
 jure ac nomine fisci percepit, juxta famosam *I. Co-*  
*tem. II. §. fin. ff. de Publican. & Vectig.* Franch.  
*Dec. 123. Arismin. Tepat. L. IV. Dec. 393. cap. 1.* Id  
 quod tamen simpliciter accipiendum non est, sed  
 tria concurrere debent requisita: (i.) ut illos non

olim

olim aliquando, sed proxime redemerit, Brun-  
nem. ad d. l. II. n. 4. (2.) ut maximos fructus  
inde percepit. Struv. Synt. civ. Exerc. XXXIX,  
tb. 37. (3.) ut pro futuro non reperiatur emitor,  
qui tanti redimere velit. Peregrin. de Jure Fisci.  
L. 6. tb. 5. n. 6. Uno vero ex his deficiente, illa  
redimendi non obtinet necesitas. Sande Decis.  
Frisic. L. III. t. 6. Def. 4. Atque de his casibus  
textus interpretandi sunt in l. 9. §. 1. ff. de Public.  
& Vect. I. 3. §. 6. ff. de Iur. Fisci, qui ut obstantes  
alias allegari solent. Conf. Zœf. b. t. n. 14. Mantic.  
de Tac. & Ambig. Convent. L. V. t. 3. n. 29.

## Th. XVIII.

Neque tamen ad solam Cameram aut Fis-  
cum Principis dicta Lex est restringenda, sed &  
in aliis publicis redemptionibus reddituum ac ju-  
rium ad civitatem vel universitatem aliquam spe-  
ctantium pertinet. arg. Rubr. Cod. de Locat. præd.  
Civil. Carpz. Part. II. Conf. 31. Def. 8. Hartm.  
Pistor. Observ. 162.

## Th. XIX.

Ex hoc capite fluit, quod utilitate publica  
vel inopia fisci exigente, magistratus ordinare  
posit, ut panes, cerevisiam ac vinum in opificio  
publice hunc in finem exstructo, subditi coquant,

aut

35 (17) 55

aut ibi saltem venditum recipient atque emant.  
Cacheran. *Dec. 17. Kœppen. Parte I. Decis. qu. 59.*  
*n. 28. Add. Klock. de Ærar. L. II. cap. 2. § 26. n. 12.*  
Quo pertinet, quod civitates quandoque pro-  
vinciarum metropoles dona habentes cerevi-  
salia, jus coquendi & distrahendi cerevisiam ita  
sibi assignatum teneant, ut præter usum domesti-  
cum cerevisias coquere, pfannasque in eam rem  
braxatorias, *Brau-Pfannen/* habere, reliquis  
prohibere possint provincialibus. Marquard. *de*  
*Iur. Mercat. Lib. IV. cap. 7. n. 48.*

### Th. XX.

Eundem ad modum Bornitius *L. II. de Ærar.*  
*cap. 2. censet: Principes pannorum & ferorum,*  
*texturam iis in locis, ubi ejusmodi articia, ob*  
*materiae vel artificum defectum, in singulorum*  
*usum non frequentantur, sibi vindicare ac sub-*  
*ditis ad emendum distribuere posse.*

### Th. XXI.

Deinde *cupri, ferri, aliasque officinae, Rupf-*  
*fer- und Eisen-Hammer &c.* sibi quoque reser-  
vare possunt Principes, si maximos sumtus re-  
quirant, in iis præfertim locis, ubi abundantia  
horum metallorum & penuria lignorum existit,

C

ita.

ita ut his privatorum non sufficiant facultates.  
Klock. de Ærar. L. II. cap. 26. n. 12.

## Th. XXII.

Sic jus emendi vendendique lupuli den  
Hopffen-Kauff und Verkauff in Silesia solus  
sibi vindicat Senatus Vratislaviæ. Klock. de Ærar.  
L. II. cap. 26. n. 12. Et in Comitatu nostro  
Schvartzburgico Civitati Königsee /monopo-  
lium polentæ conficiendæ & vendendæ , das  
Malzmachen und Malz-Handel /intra cer-  
tum districetum nomine privilegii est concessum.  
B. Dn. Fritsch. d. monopol. cap. 10. n. 78.

## Th. XXIII.

Pariter & subditis interdicī potest, ne extra  
fines territorii Sal emant, sed ex publica illud  
clausura, mercantia salis destinata, comparent,  
Fachin. Vol. I. Conf. 6. n. 7. idque tunc maxime  
si ex ordinatione ejusmodi privatis vel nihil vel  
parum præjudicetur. Petr. Surdus L. III. Conf.

321.

## Th. XXIV.

Id tamen nihil novi, cum jam olim Sal  
emere singuli à Salinarum conductoribus coa-  
cti fuerint, uti proditum est Arcadii & Honorii  
Constitutione in l. II. C. d. Vectigal. ibi: Si quis  
fine

§§ (19) §§

*sine persona mancipum, (id est salinarum conductorum) sales emerit, vendereve tentaverit, sive propria audacia sive nostro munitus oraculo: sales ipsi, una cum eorum pretio, mancipibus addicantur. Unde in libris quoque Feudorum Regalia inter salinarum redditus computantur. Tit. Quae sint Regal. Conf. Gujac. L. III. Observ. 31. Rosenth. de Feud. cap. 5. Conclus. 40.*

Th. XXV.

Ita hodie adhuc Rex Galliarum in sale exercet monopolium, referente Marquard. Frehero. *de Monet.* fol. 48. exstructis in regia variis horreis quibus sal reconditur, & poena capitis in eos, qui aliunde quam ex istis horreis sal emerint, sanctita, si Thuano credimus, *L. V. Histor.* fol. 158. Idem obtinere in Flandria, Anglia, Tartaria, Bavaria, aliquaque locis, scribit Müller. *Pract. March. rerum forens.* *Resolut.* 107. n. 6. cum Dd. alleg.

Th. XXVI.

In Italia quoque monopolia in sale vendendo licite exerceri, testis est Stracha *de Mercat.* *Part. IV.* n. 30. & seqq. Atque speciale Bononiensis civitatis capitulum allegat Cæphal. *lib. IV.* *Conf. 529.* n. 82. quod non liceat emere sal, præterquam a conductoribus Datii salis, & quod nemo

nemo audeat ire extra comitatum Bononiæ, ad emendum aliquam quantitatem salis, & illam convehere ad comitatum & civitatem Bononiæ, sub pena certa statuta.

## T. XXVII.

Salis porro venditionem in multis Novæ Marchiæ locis penes Senatum esse, dicit Kœppen. *Decis. Part. I. qu. 59. n. 28.* Id tamen hodie aliter se habere, & commercium salinarium Electorem Brandenb. sibi tanquam regale vindicasse, lege publica desuper per omnes provincias ac circulos cum consensu ordinum suorum promulgata, scribit Frider. Muller. *Practica Marchica, rer. Forensium Resolut. 107. n. 8. seqq.* quem vide. In Germania communiter usitatum esse, daß den Salz-Kauf die Städte haben/ und nicht die Dörffer/ observat Klock. *de Ærar. lib. II. cap. 9. n. 15.*

## Th. XXVIII.

Huc referri potest, commercium lapidum molendiniorum, nec non vitrorum vendendorum. Muller *d. l. n. 14.* item chartæ certo signo notatae **Stempel-Papier** ad negotiorum validitatem a contrahentibus vel aliquid gerentibus adhibenda, idque pro cuiuslibet negotii qualitate

¶ (21) ¶

tate, majori vel minori pretio seu taxa emendæ, prout mandata diversorum Regum, Electorum ac Principum hanc in rem extant. Vid. Frider. Jacob. Bartholdi *Exercit. de chart. signat. an. 1690 edit.*

Th. XXIX.

Incendiorum quoque avertendorum cura ac ratio, omni tempore in quavis bene constituta Republica pro parte salutis publicæ tuendæ fuit habita, *l. nam salutem reip. 3. §. ut curam. 4. ff. d. Offic. Pref. Vigil.* Quid ergo mirum, si Magistratus mandatis subditi adstringantur ad organa antipyrica, seu instrumenta compescendæ & extinguendæ flammæ apta, *Feuer-Rüstung/ comparanda?* Eiusmodi recensentur *d. §. 4.* videlicet hamæ diruendis ædificiis paratae, *Feuer-Hacken* ac dolabré; nos addimus scalas ad justam altitudinem adscendentes, & rotulis innitentes, ad elevandum retrahendumque commodas, siphones varii generis, *Wagen-Schlangen-Hand-Sprißen/Wasser-Kuffen/ lederne Eimer* &c. Supervacuum duco enumerare hic Ordinationes, quæ ejusmodi instrumenta in promptu habere poscunt; vix enim dabitur Principatus, Comitatus vel Respublica bene constituta, quæ suis

C 3

de hoc

de hoc non prospectum velit: & novimus in patria nostra non aliter conferri jus civitatis, nisi in patria nostra non aliter conferri jus civitatis, nisi in civem recipiendus urnam scorteam, einen ledernen Eimer/ emat, & ad ædes civitatis publicas, ubi ejusmodi instrumenta asservari solent, deferat. Alibi quoque ejusmodi præstatio ab illis exigitur, qui ordinem seu collegium braxatorum ambiunt, Es wird keiner zum Bierbrauer auf und angenommen/ er habe denn eine Hand-Spriße und ledernen Eimer geschafft.

## Th. XXX.

Hæc ipsa igitur publicè emendi necessitas incumbit subditis, quippe qui pro officio sociali, quo Reipublicæ sunt obstricti, non minus corpore suo, quam bonis ac facultatibus eidem prodefesse debent, arg. l. 2. pr. in fin. ff. ad Leg. Rhod. de factu. Koeppen. Part. I. Decis. 59 n. 9,

## Th. XXXI.

Nihil autem inreresse putamus, an quidam ratione personæ sint subjecti, an saltem quoad rerum suarum possessiones. Etenim & illos pro ratione emolumenti & fructuum, quod ex iis rebus percipiunt, ad emendum compelli posse, ra-

§ 5 (2) § 6

se, ratio Juris postulat, arg. l. i. l. 6. C. de Omni Agro deserto. Joann de Platea ad tit. C. Ut nem. lic. in Emt. spec. se excus. n. 1. Jus tamen cogen- di subditos ad sal emendum, vel alia vietualia comparanda, non esse cohærens territorio atque rerum possessionibus, sed subditorum solum personis incumbere, asserit Andr. Alciat. lib. IX. Respon. 45. lit. F.

### Th. XXXII.

Præterea quisque civium obligatur, pro ratione census ac quantitatis patrimonii sui, in communi illa necessitate reipublicæ subvenire. Pacian. Conf. 7. n. 19. Joann. de Platea ad tit. Cod. Ut nem. lic. se excus. n. 3. Hoc tamen ca- vendum, ne Princeps vel Magistratus, qui mo- nopolium salis exercet, subditos pro numero ca- pitum ad emendum compellat, quoniam id in- justum & mortale peccatum esse, monet Muller. d. Resol. n. 7. ex Ripa & aliis.

### Th. XXXIII.

Extraneis ergo potestati aut Jurisdictioni Principis jubentis non subjectis, hæc imponi ne- cessitas haud potest, quia scilicet per modum imperii civilis exercetur, quod in extraneos non

com-

§§ (24) §§  
competit. vid. Petr. Surd. I. III. Conf. 321. Grot.  
de J. B. & P. I. II. cap. 14. §. 8.

Th. XXXIV.

Atque hæc ipsa coemendi necessitas non tantum ad frumenta in privatum aut publicum usum comparanda pertinet, sed & ad res alias, quibus vitæ ac publicæ necessitatis ratio indiget. Peretz. in t. Cod. Ut nem. lic. in Emt. spec. n. 5. Et ad eas res præcipue, quæ in loco reperiuntur, atque ibi natæ sunt, secus in iis, quæ foris ad portantur & alibi creverunt. arg. l. 3. §. 1. ff. ad Leg. Jul. d. Annon. Peretz. ad tit. Cod. Ut nem. lic. in Emt. spec. se excus. n. 9. Nisi hæc ipsa apportatio ob publicam proprii territorii inopiam facta fuerit.

Th. XXXV.

Hactenus vero tradita potestas Principis civiliter est exercenda, ne alias in despoticum quendam degeneret dominatum. Atque ideo taxa ac specierum pretium immodice statuendum non est, arg. l. 1. §. 2. C. Ut nem. lic. in Emt. spec. se excus. sed justum pretium constitui debet, Es wird Brod / Bier und Fleisch von der Obrigkeit geschâket. Köppen dec. 59. n. 7. Illustr. Dn. Stryck. d. salut. publ. cap. 2. n. 98. Dispen-

¶ (es) ¶

pendia tamen ac damna in talium coacervatione vel coemtione specierum facta , simul computantur. Peretz. in d. t. Cod. Ut nem. lic. se excus. n. 12. Atque in hunc sensum textus est expli- candus in l. 3. pr. ff. ad Leg. Jul. d. Annon. ubi Imperatores Antoninus & Verus Augusti , in haec verba rescriperunt: *Minime æquum est Decuriones civibus suis frumentum vilius quam annona exigit , vendere.* Quod assertum iisdem verbis repetit Marcianus in l. 8. ff. Ad Municip. nisi singularis publicæ necessitatis ratio postulet, quod Paulus confirmat in l. 5. §. 1. ff. de Administr. rer. ad Civit. pertin.

### Th. XXXVI.

Id ipsum denique , quod ex fiscalibus istis venditionibus à subditis redigitur , non in pri- vatum Principis luxum , sed publicam reip. utilitatem est impendendum.

### Th. XXXVII.

De officiis publice collatis quæritur ? an compelli possint officiales à Principe , ut illa no- viter certa collata pecunia redimant ? Qui mos in Gallia potissimum obtinet , & nunc in Germa- nia non adeo est incognitus. Neque illum ju-

D. stitiae

§§ (26) §§  
stitiæ distributivæ adversari arbitramur. Conf.  
Klock. de *Contribut.* cap. i. n. 381.

Th. XXXIX.

Ulterius hic inquirendum: An subditi cogi posint, ut loca publica inulta emant, quo inadiscitentur, aut ad culturam redigantur, ut inde fisco tributum suum pendatur atque vectigal augeatur? Quod affirmandum putamus ob l. i. § l. 6. C. de *Omni agro deserto*.

Th. XXXIX.

Potest autem Princeps non circa personas ementium solum, sed & circa rerum venalium pretia, ex justa causa statuere, ne minoris aliquid ematur. arg. l. i. pr. ff. ad Leg. Jul. d. Anno. Id quod etiam contingit accisa rei venali imposita.

Th. XL.

Nec non circa locum rerum venalium Princeps potest statuere, ut in hoc vel illo loco jus emporii habeatur, nec alibi ematur, qua de re calus notabilis extat in cap. significante. 69. X. de *Appellation*. ubi Decanus & Capitulum agebat contra Episcopum Aurelianensem actione confessoria, sibi jus esse, ut carnes alibi non vendarentur, quam in certo loco, qui erat Capituli.

Conf.

33 (27) 58

Conf. Sichard. in l. Un. Cod. de Monop. n. 7.  
Esseqq.

Th. XLI.

Emendi vero hæc necessitas cessat, cessante  
ratione publica, causa scilicet calamitatis com-  
munis sublata , arg. l. 2. C. Ut nem. lic. in Emt.  
spec. se excus. nec non per ea, quæ tradit Decius  
*Conf. 335. & Cravetta Vol. I. Conf. 95.*

Th. XLII.

Ipse præterea Fiscus ad emendum quando-  
que compelli potest. Cujus specialis casus Cra-  
vetica *Conf. 128. in fin.* mentionem facit , videli-  
cet, quod Fiscus feudo forte confiscato, illud sibi  
retinere nequeat, sed , licet sit hereditarium , te-  
neatur tamen privatum rursus de illo investire,  
qui ad servitia præstanda paratus sit ; vel si hoc  
facere nolit, teneatur aut vendere utile domi-  
nium, vel emere directum à Domino feudi. Vid.  
Tusch. *Conclus. pract. voc. Emere n. 6.* Verum  
hoc indistincte capiendum non est: Cum enim  
feuda alias in bonorum confiscationem non ve-  
niant, Struv. *Synt. Feud. cap. 15. th. 10. n. 4.* eum  
ad casum hoc erit restringendum , quando sin-  
gularibus pactis aut statutis tale quid fuerit in-  
ductum.

D 2

Th.

202  
Th. XLIII.

A causis publicis progredimur ad privatas, non minus enim circa illas causas quosdam exceptos reperire licet. Atque isti huc in primis spectare videntur causas, quibus ob testatoris dispositionem heres interdum emere tenetur. Quamquam enim adeundo hereditatem heres sponte voluntati se subjiciat testatoris, ut ita Emotor Invitus non videatur *l. si ab eo. 7. C. d. liber. caus.* attamen cum hoc ipsum interactiones quodammodo mixtas referri queat, quae non sunt absolute spontaneæ, ideo quoque ad hunc censum eas reducere, non est cur dubitem.

Th. XLIV.

Potest autem hoc fieri per dispositionem testatoris vel expressam, vel tacitam. De expressa loquitur textus in *l. 66. de Legatis n.* ibi enim Gajus JCtus inquit: *Etsi a quo pretio emere vel vendere heredem suum juss erit testator, adhuc utile legatum est.* Potest enim interesse legatarii, ut fundus ab herede ematur, quem causum notat JCtus in *d. l. 66.* verbis sequentibus: *Quid enim, si legatarius, a quo emere fundum heres jussus est, cum ex necessitate eum fundum venderet, nullum inveniret emtorem?* Et quidem potest

## §§ (29) §§

potestate testatore pretium vel certum assignari, vel nullum. arg. l. 49. §. pen. & ult. de Legat. 1. Frantz. ad Pand. tit. d. Contrah. Emt. n. 85. ita, ut heres etiam ultra verum rei pretium ad emendum damnari possit. Neque beneficium legis 2. C. de Rescind. Vend. hoc casu procedet, quia legatarius superfluum non ut pretium recipit, sed ut legatum. Et quamvis in dicto textu dicatur *aquo pretio*, hoc tamen pertinet ad illud, ut ne minoris à testatore taxari possit. Verum intercidit hoc legatum, si rem suam legatarius nolit vendere. Testator enim in hoc heredem quidem gravare potest ad emendum, non autem legatarium ad vendendum, ne alias legatum, quod in legatarii favorem introductum est, in ejus odium detorqueatur. arg. l. 6. C. d. LL.

## Th. XLV.

Tacita testatoris dispositio eo casu fieri intelligitur, si res aliena legata fuerit, eo ipso enim jubere testator existimatur, ut heres eam redimat, & legatario praestet. In quam sententiam textus extat in §. 4. Inst. d. Legat. ubi Imperator: *Non solum autem testatoris vel heredis res sed etiam aliena legari potest, ita ut heres cogatur red-*

D 3

imere

§§ (30) §§  
imere eam & præstare: vel si eam non potest  
redimere, estimationem ejus dare.

Th. XLVI.

Non tamen nimis magno pretio redimere  
rem tenetur, sed tanti, quanti revera valet, *arg. l. 1.*  
*§. 16. ff. ad Sct. Trebell.* vel juxta pretium vulgare  
atque forense. *l. pretia rerum. 63. ff. ad Leg. Falcid.*  
*l. 33. ff. ad Leg. Aquil.* vel juxta pretium, quod in  
ista provincia, ubi res sita, obtinet. *arg. l. 2. C. Ult*  
*nem. lic. in emt. spec. se excus.* Dinnerus de *justo*  
*rerum pret. qu. 2.* Neque heres multo pluris  
emens, ratione excessus subtractione *L. Falcidiæ*  
uti potest, sed illud, quod amplius ultra verum  
pretium solvit, suæ imputet facilitati. *l. Alienus*  
*fundus. 61. ff. ad L. Falcid.*

Th. XLVII.

Procedit autem hoc ipsum eo solum in casu,  
*si defunctus sciebat alienam rem esse, d. §. 4. Inst.*  
*d. Legat.* neque enim is in dubio heredem gra-  
vare voluisse censetur. *Conf. Sehneidew. ad d. §.*  
*n. 6.* Eamque scientiam Legatarius probare de-  
bet, partim, quia intentionem suam in ea fundat,  
partim, quia heres juris juvatur præsumtione, ad-  
eoque onus probandi in adversarium devolvi-  
tur. *Mantic. de Conjectur. ult. vol. l. g. t. 9. Struv.*

Synt.

§§ (31) §§

*Synt. Civ. Exerc. 35. th. 14.* Ceteroquin potest  
hoc probari ex circumstantiis, v. g. si rei legatae  
possessio sit apud tertium. *Christin. Decis. Bel-*  
*gic. L. IV. Dec. 32. n. 5.*

Th. XLVIII.

Si vero id ignorabat testator, & rem ha-  
bebat pro sua, regulariter non valet legatum,  
quemadmodum patet ex l. 67. ff. §. 8. de Legat. 2.  
ibi: *Sin rem tuam, quam existimabam meam,*  
*te herede instituto, Titio legem: non est Neratii*  
*Prisci sententiae nec Constitutioni locus, qua ca-*  
*vetur, non cogendum prestare legatum heredem,*  
*nam succursum est heredibus, ne cogerentur redi-*  
*mere, quod testator suum existimans reliquit, sunt*  
*enim magis in legandis suis rebus, quam in alienis*  
*comparandis & onerandis heredibus faciliiores*  
*voluntates. Conf. Menoch. de Pr. sumt. Lib. IV.*  
*Pr. 116. n. 36.* Hoc ipsum tamen insigniter li-  
mitatur, si legatarius sit persona testatori con-  
juncta, quo casu ignorantia non nocet testatoris.  
Sic enim expresse rescribit Alexander Imperator  
in l. 10. C. de Legat. *Cum alienam rem quis reli-*  
*querit, si quidem sciens, tam ex legato quam ex*  
*fideicommisso, ab eo, qui legatum vel fideicom-*  
*missum meruit, peti potest. Quod si suum esse*

puta-

putavit, non aliter valet relictum, nisi proxime  
personæ, vel uxori, vel alii tali persona datum  
sit, cui legatus esset, et si scisset, rem alienam esse.  
Add. Matthæi de Success. cap. 9. Dec. 6. Gometz  
L. I. Var. Resol. 12. n. 13. Dicitur autem hic per-  
sona conjuncta, uti constat ex textu, non solum  
ea, quæ naturali ratione atque sanguine jungitur,  
sed etiam illa, quæ matrimonio aut singulari alia  
affectione defuncto fuit int̄rior. Brunnem. ad  
d. l. 10. C. n. 2. Menoch. L. IV. pref. 116. n. 18. Pa-  
riter huc referunt Interpretes legatum p̄iæ  
causæ relictum, ita, ut nec ignorantia testatoris  
impeditat, quo minus id ex præsumpta ejus volun-  
tate valeat. Sichard. in l. 10. C. de Legat. num. 10.  
Carpz. VI. Resp. 28. n. 10. Deficit tamen hæc  
benevolæ testatoris præsumtio, si heres quoque  
arcta propinquitate testatorem contingat, atque  
tunc petitio nulla est, nisi scientia probetur testa-  
toris. arg. l. 77. §. 8. de Legat. 2. Brunn. ad d. l. 10.  
C. n. 3.

## Th. XLIX.

Nec a scopo nostro alienum existimamus  
dispicere, an hodie ex pacto nudo de re emenda,  
contractu nondum perfecte celebrato, oriatur  
obligatio, & promittens præcise compelli possit  
ad emen-

¶ (33) Sc.

ad emendum. Negant hoc Everhard. *Vol. II.*  
*Conf. 5. n. 13.* Natta *Conf. 484. n. 14.* & rectè.  
 Namque hoc casu nondum perfecta intentio  
 censetur paciscentium de se obligando, nisi con-  
 tractu plenariè celebrato. Tessaur. *Dec. 233.* Boer.  
*Dec. 48. n. 11.* Conf. Mudeus de *Contract. tit. de*  
*contrah. emt. cap. 2. n. 2.* & seqq. Ad interesse  
 tamen inde actio datur, modo illud pactum de-  
 liberato fuerit initum, & actor speciatim aliquod  
 interesse probare queat. Richter. *Dec. 83. n. 82.*  
 Frantz. *de Laudem. cap. 14. n. 87.* & seqq.

Th. L.

Hac quoque occasione operæ pretium erit con-  
 siderare: An ille, qui artificis operam conduxit,  
 ut is certam speciem conficeret, eam postea con-  
 fectam ab eodem emere cogatur? Quod pa-  
 riter negandum existimamus; Cum enim ad sub-  
 stantiale emtionis merx certa requiratur ac de-  
 terminata, hæc vero non adsit, specie nondum  
 confecta, facile hinc patet, emtionem perfectam  
 non esse, nec validam ad emendum producere  
 obligationem. arg. §. 4. *Instit. de Loc. Cond. l. 2.*  
*§. 1. ff. Eod.* Struv. *Syntagm. Civ. Exerc. XXIV.*  
*tb. 8.*

E

Th. LI.

Ex quadam porro rerum ac iurium inter se connexione, Emens partem fundi, qui pro indiviso cum altero possidetur, compellitur etiam emere alteram partem, quæ postea in judicio communi divid. venditori fuit adjudicata, si commodam scilicet non recipiat divisionem, probantibus id Interpretibus ex *l. Julianus. 13. §. idem Celsus. 17. ff. d. A. E. V.* Idemque juris est in debitore, qui ratam suam pignori dedit, nam & hic rem integrum tenetur redimere, si tota res interim creditori fuerit adjudicata. Claro utrumque textu id dilucidatur in *l. 7. §. 13. ff. commun. div.* ubi casum ita profert ac decidit Ulpianus: *Si debitor communis prædiū partem pignori dedit, & a domino alterius partis provocatus creditor ejus, aut ab alio creditore alterius debitoris, lēcendo superavit, & debitor ejus, cui res fuit adjudicata, velit partem sui prædiū recuperare, solutō eō, quod ipse debuit, eleganter dicitur, non esse audiendum, nisi & eam partem paratus sit recuperare, quam creditor per adjudicationem emit.* Nam & si partem vendideris rei, & prius quam traderes emtori, communi dividundo iudicio provocatus fueris, aliaque pars tibi adjudicata sit, con sequen-

sequenter dicitur, ex emto agi non posse, nisi totam rem suscipere fuerit paratus: quia hac pars beneficio alterius venditori accessit. Quinino etiam ex vendito posse conveniri emtorem, ut recipiat totum. Hujus proinde decisionis fundamentum, est jus quoddam accrescendi, quod licet ordinarie in contractibus locum non habeat, ex singulari tamen ratione hoc casu obtinet, annotante Gothofredo ad l. 64. ff. de contrah. emt. lit. T. Partim ne rursus ad communionem invitus trahatur venditor, qua antea per alienationem fundi communis se abdicavit. arg. l. fin. C. d. commun. divid. partim ne ita rei possessio cum ipso possessorum dividatur incommodo. Conf. Tiraquell, de Retr. Consangu., §. 23. glossa 2. n. 5.

Th. LII.

Huc pertinere arbitror, si quis sibi & tertio emit, contractus in persona euentis consistit in solidum, ut ille etiam iudicio emit ad totam rem emendam invitus compelli queat, cum adjectio extranei sit inutilis, & obligationis principium ab ipsis contrahentibus initium capere debeat. l. quæcunque. II. ff. d. O. & A. l. stipulatio 38. §. 6. ff. de Verb. Oblig. Conf. t. tit. Cod. Si quis alter. vel sibi sub alter. nom. vel al. pecun. emer. Quod

E 2

idem

382

35 (16) 58

idem Javolenus l. 64. ff. de contrah. emt. perspi-  
cuis his innuit verbis: *Fundus ille est mibi &*  
*Titio emtus.* Quero, utrum in partem, an in  
totum venditio constat, an nihil actum sit? Re-  
spondi: Personam Titii supervacuo accipiendum  
(puto:) ideoque totius fundi emtionem ad me  
pertinere. Grænwegen b.l. quidem textum hinc  
moribus abrogatum esse autumat, sed rectius  
contrariam tuerit sententiam Brunnum. ad b.l.  
in fin. Idque ex ipsa contractus natura faciliori  
negotio liquet: Videtur enim venditor præsentis  
atque contrahentis emtoris secutus fidem, nec  
pro parte, sed in solidum, fundum vendidit, unde  
contra intentionem suam non debet in diversos  
emtores distrahi, aut incertam personam tertii,  
cujus intuitu forte venditionem non fecit, ad-  
mittere, aut licet admiserit, non tenetur tamen ad  
correalem obligationem, quæ ex ipso contractu  
individuo quemlibet obligat in solidum.

Th. LIII.

Consimilis quodammodo casus in Jure Re-  
tractus occurrit: In hoc enim si plures Retra-  
hentes gradu pares concurrant, omnes recte qui-  
dem ad retractum admittuntur. Carpzov. P. II.  
Conf. 31. Def. 10. At si unns saltem ex his jure  
mobii suo

suo uti velit, invito possessore non admittitur, ut rem pro parte emat seu retrahat, sed is totam rem in solidum emere cogittur. Richt. *Dec. 76. num. 18.* Neque obscura hujus sanctionis est ratio: cum enim retrahens contractum cum emitore celebratum in omnibus partibus adimplere teneatur, utique & totam rem, quam accepit emitor, non partem tantum recipere cogitur. Struv. *Syn. Civ. Exerc. XXIII. tb. 63.* Nec distingvendum arbitror, an res sit dividua, an individua: objecti enim conditio, naturam non immutat retractus. Conf. Reniem. *Jurisprud. Rom. Germ. Membr. 3. Disp. 33. tb. 14.* Ob quam eandem causam, si quis universum patrimonium vendiderit, & in hoc quædam extent avita, ad illa sola retrahenda consanguineus non admittitur, sed simul & reliqua invitus etiam redimere compellitur. Conf. Curt. *Tom. I. Conject. 38.* Coler. *Dec. 229. n. 2.*

## Th. LIV.

Cogitur nonnunquam Emitor intra certum temporis spatium emptionem perficere, ita ut post illud effluxum amplius non admittatur. Cernitur illud in ipso, de quo jam actum fuit, jure retractus gentilitio, quippe quod consanguineus,

neus, cui retrahendi facultas conceditur, intra  
anni spatium exercere, adeoque pretium emtio-  
nis actu offerre, aut recusatum rite deponere  
cogitur, ni jure suo privari velit. Gail. lib. II.  
obs. 19. Reinking. d. retract. qu. 7. Berl. p. II. concl.  
40. Idque tempus statim à facta venditione  
computatur, licet res nondum sit tradita. Carpz.  
p. II. Const. 32. def. 3. Vultej. lib. I. d. feud. cap. II.  
n. 108. Richt. dec. 76. n. 144. Aliud exemplum  
emtoris ad certum tempus adstricti occurrit in  
redemptione subselliorum ecclesiasticorum, de  
quibus in Ordin. eccles. Elect. Sax. art. gen. 36. pr.  
disponitur, ut heredes defuncti ab intestato ve-  
nientes, quibus prælatio & jus protimiseos in  
his templorum subselliis concessum est, intra  
quatuor septimanas ab obitu defunctorum aut abitu  
possessoris numerandas, redimant, aut si id facere  
neglexerint, jure suo excidant. Idque repetitum  
in Decret. Synod. gen. §. his verbis: Wenn sich  
Stände durch Albsterben und Abzug derer/  
so sie betreten und besessen haben / erledigen/  
so sollen die nächsten Erben solche innerhalb  
4. Wochen / bei Verlust derselben zu lösen/  
und der Kirchen das Geld zu entrichten schul-  
dig und pflichtig seyn. Conspirat cum hac  
Ordin.

§§ (19) §§

Ordinatione Decret. Synod. Anno 1624. §. Wenn  
sich auch ein Kirchen-Stuhl erlediget / so sol-  
len die nächsten Erben innerhalb 4. Wochen  
bey Verlust denselben zu lösen / und das Geld  
denen Kirch- Vätern zu entrichten schuldig  
und pflichtig seyn. Add. Carpz. Jpr. Conf. lib.  
II. def. 360. Linck. d.jur. templ. cap. 5.

Th. LV.

De illo denique quæri potest: An quis commi-  
serationis ratione, & jure dandæ eleemosynæ com-  
pelli posse, ut v. g. à paupere emat opera manua-  
lia? Quod affirmamus, si nimirum casus ad sit  
necessitatis. arg. Can. pasce fame. Dist. 86. Panor-  
mit. in cap. IX. de Emt. Vend. n. 7. & seqq. Ipsa  
enim humanitatis ratio, quæ nos ad eleemosy-  
nas dandas obligat, licet jus aliquod imperfe-  
ctum involvat, tamen tempore necessitatis in jus  
perfectum transmutatur, ad quod aliquis  
extraordinario judicis officio cogi potest. Add.  
Covarruv. L. III. Resol. cap. 14. n. 5.

Th. LVI.

Coronidis loco de remediis quoque contra  
Emtorem invitum competentibus, aliquid mo-  
nendum. Mandata enim publica, quibus emen-  
di necesitas subditis injungitur, aut mulctam seu  
pœnam

poenam quandam in transgressores statuunt, aut  
 nullam. Illo modo Advocatus fisci, seu alias  
 ad hoc constitutus, necesse habet, ut judici trans-  
 gressionem mandati denunciet, simulque contra  
 legem quid factum fuisse probet, quo peracto  
 atque causa de simplici & plano cognita, poena  
 in sanctionibus statuta à judice contra transgres-  
 forem decernitur, Oldendorp. *Clas. Act. 7. in-*  
*Introd.* Hoc vero casu, Fiscalis judicem implor-  
 at ut transgressor, ad observantiam legis adiga-  
 tur, & tunc judex imploratus officium suum  
 absque sufflamine longo interponere tenetur;  
 mediante mandato sine clausula, quia est factum  
 à Principe prohibitum, atque sicubi illud perpe-  
 tratum, absque ulteriori cognitione sententia  
 fertur. *Ord. Cam. Part. II. Tit. 25. princ vers.*  
**E**s wäre denn. Gail. I. Obs. 13. n. 3. Cæterum  
 quæcunque remedia emtori ratione rerum emta-  
 rum contra venditorem competit, eadem huic  
 quoque contra illum dantur. Vid. Petr. Müller,  
 ad Struv. Exer. XXIII. th. 113.

S. D. G.





Jena, Diss., 7707 W-2

f



5b:

von 8







Pri. 17. num. 17. *Q. D. B. V. 1707.29.9*  
EMTOR INVITUS,  
Räuffer wieder seinen Willen/

QUEM

DIVINA ANNVENTE GRATIA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVLIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE, IVLÆ, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGARIAE ET VVESTPHALIAE, &c. &c.

IN ALMA SALANA

SUB PRAE SIDIO

VIRI ILLVSTRIS atque EXCELLENTISSIMI  
DOMINI

CHRISTIANI WILDVOGELII,

JCTi, Consiliarii Saxo-Isenacensis Intimi, Curiæ Provinc.

& Scabinat. nec non Facult. Jurid. Assessoris Gravissimi Jur. Publ.

& Feud. Itemque Cod. & Novellar. Antecessor.

Ordinarii Celeberrimi,

DOMINI PATRONI AC PRAECEPTORIS  
SUI AETATEM DEVENERANDI,

D. 3. Dec. A. MDCCVII.

In Auditorio Jureconsultorum, publicæ Eruditorum

Disquisitioni sistit A. & R.

CHRISTIANUS LUDOVICUS VVERNERUS,  
Schvartzburgicus.

IENAE,  
CHALYBE MULLERIANO.

